

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Atlas minor Gerardi Mercatoris**

**Mercator, Gerhard**

**Amsterodami, 1610**

Italia, in qua hae continentur regiones

[urn:nbn:de:bsz:31-118360](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-118360)

## ITALIA, In qua hæ continentur Regiones.

Lombardia.  
Venetia Ducatus.  
Liguria, Genuz Duc.  
Friuli Duc.  
Istria.  
Romandiola Comitatus.  
Thufcia Ducatus.  
Spoletanus Ducatus.  
Anconitana Marchia.  
Latium, nunc Campagna di Roma.

Abruzzo, Aprutium, Samnites.  
Terra di Lavano, Campagna felice, Principatus.  
Apulia Daunia plana, Regnum.  
Lucania, Basilicata, Principatus.  
Terra di Barri, Apulia Peucetia.  
Terra di Otranto, Regnum.  
Calabria Superior Regnum.  
Magna Græcia.  
Brutij, Calabria Inferior,

*Regnum Neapolitanum magnam harum regionum partem complectitur.*

Quia paucissimi Comitatus & Dominia mihi per Italiam & Græciam innotuerunt, & eorum pleraque nomina ac loca in Tabulis assignari nequeunt ob Tabularum quæ exstant imperfectionem, ideo paucis exceptis hoc labore superfedebø. Quilibet studiosus quoscunque invenerit annotare facile poterit. Pulcherrima esset in Politicis speculatio, si omnium Regnorum nobilitas, & officia singulorum, locaque Dominiorum nota essent. Quisque in sua hoc præstans patria laudem merebitur.

### ITALIA.

*Regio.*

**S**ic se habet, & universim & speciatim Germania: jam nunc, ea qua potui fide perlustrata, Italiam ingredior: Italiam, Regionem Diis sacram, inquit Plin. lib. 11. Natur. Histor. cap. xx: totius Europæ beatissimam, optimamque, omnium prope Terrarum Alumniam, Rerum Dominam, Principem Gentium, Mundi Reginam. Varias habuit olim appellationes. Dionysius Halicarnassæus lib. 1. Romanarum Antiquit. Regionem hanc nobilissimam Indigenas vocasse scribit *Saturniam*: Græcos vero *Hesperiam*, *Ausoniam*, *Oenotriam*: Herculis denique tempore dici cœpisse *Italiam*. *Saturnia* dicta fuit a Saturno Rege. Verum hæc appellatio non ad totam Italiam: sed tantum ad ejus partem, quæ & *Latium*, pertinuisse videtur. *Hesperia*, vel ab Hespero Atlantem Fratrem fugiente, ut vult Hyginus: vel ut Macrobio placet, ab Hespero stella quæ Latinis est Vesperugo: quod ad Occasum spectet: *Ausonia* ab Ausone. *Oenotriam* dixere, a Vini bonitate, aut ab *Oenotro* Sabinorum Rege. *Italiæ* nomen acceptum ab *Italo*, quem Oenotriæ Regem facit Aristoteles. Festus vero lib. 1. x. *Italiam*, dictam, quod magnos Italos, hoc est Boves habeat, ait, vitulos enim Italos esse dicit. Timæus fabulatur appellari, ab *Italo Bove*, uno ex armento Geryonis, qui abactus ab Hercule Siculi Freti angustias tranaverat, Tyrrhena lingua *Italium Taurum* dicente. *Vitalia* quoque quendam dicta, si fides Hellanico, apud eundem Dionysium Halic. lib. Antiq. Rom. Alias veteres Italiæ appellationes, quod non

*Nomina.*

*Aquibus & civ  
indica.*

ITALIA

479



non tam toti, quam Partibus convenient, omittimus, *Peninsulam faciunt Italiam* Strabo & ptol. quam Natura Mari Supero, Infero Ionio munivit lateribus tribus: quarto autem vallavit Alpibus, Nam Occasum Caurumque versus abfusa sunt Italiz Alpès, quæ suis apud veteres cognominibus desinētæ fuerunt, Maritimæ, Cottiz, Græiz Rheticæque ad Arsiam usque s. Septentrionem respiciens Pœnas habet Iuliasque: succedente mox, qua Aquilo est, Mari Hadriatico, ab intimo recessu usque ad Sinum Ionium, qui ad Orientem Vulturumque illi obversus: Qua denique longe lateque spectat Austrum, Africum Zephyrumque ab Mari pulsatur Mediteraneo, quod ad eas oras Tyrrenum audit & Ligusticum: faciente etiam partem Australem Hadriatico, qua Toti connectuntur Partes, Forum Iulii & Histria. Longitudo est ab Augusta Prætoria ad Brutium usque Promontorium vel Leucopetram 10000 plus minus miliariorum: Latitudo maxima 1000, media, 600: minima, 300. Circuitus Italiz secundum Castaldum 10000. Qui exactius sunt metiti, signant 10000: qui exactissime, non multo miuus 10000. Italiam Eustathius Hederæ: Quercus adsimulant folio Plinius, Solinus & alii, ut proceritate multo sit amplior, quam latitudine: in Lævum se flectens cacumine, & Amazonicæ figura desinens Parmæ. Recentiores convenientissime Humano Cruri comparant: cuius Tibia vel Anticnemion Mari objacet Infero: Sura, Supero: Pes univèrsim Ionio abluitur Pelago: Calcaneus Epirum spectat: Vola vel concavitas Sinum facit Tarentinum: Carnosiores Partes Promontoria statuunt Zephyrium, Carcinum & Bruttium: digiti in Siciliam sunt conversi: Genu in Promontorio est Populonio: Coxendix & Femoris Superiora late contingunt Alpes. De nominibus & quantitate dixi: succedit explicanda Qualitas, cuius causa potior solet esse Situs Cœlestis. Hujus si quis hodie diligentissimam ineat rationem: secundum Longitudinem Occidentalissimum Meridianum deprehendet incidere in gradum 41: Orientalissimum in 49: secundum Latitudinem complecti gradus 41: Australissimum enim Parallelum distare ab Equatore grad. 41, & Borealissimum 49, sicque occupare discet Italiam Quintum & Sextum Climata, omnesque Parallelos, qui sunt inter 41 & 49, in quo Terræ tractu contingit varietas Diei Artificialis unius horæ. Major enim Dies Æstatis in Parallelo Australi Horarum est 49, cum tribus quintis: in Boreali vero Horarum 41 cum quintis totidem. Cœlesti autem Situ sic se habente, accedentibus etiam Appenninis Montibus, qui per mediam Italiz porrecti longitudinem, ab utroque latere, præcipue quo Meridianos excipit calores, Campos Collesque relinquunt frugiferos: non magnopere mirandum est, tam moderatam omnium anni Partium in Italia esse tempestatem, tantamque rerum omnium fertilitatem: quæ tamen aliis, quam aliis locis major. Ager valde est temperatus, benignus, copiosus, ad Segetes aliaque omnia proferenda supra modum adcommodus, magnique suis cultoribus quæsitus, sumtus autem exigui. *Rossellanus Ager* in Umbria juxta Lacum Velinum tantæ fertilitatis fuisse scribitur, ut auctore Varrone, Cæsar Vopiscus, quum causam apud Censores ageret, *Campos Roseæ dixerit Italia Sumen esse*, in quibus Perticas pridie relictas Gramen, una nocte operiret. *Ad vitium optima*

*Cæli semperior.*

*Solis fertilissim.*

optima fert, inquit Varro Italiae dotes persequens: *Ager Campanus, Frumentum: Falernus, Vinum: Cassinas, Oleum: Tusculanus, Ficum: Mel, Tarentinus, Piscem, Tiberis.* Italiam porro peculiarem omnium Arborum Parentem videri posse, testatur Plin. Vulgatas non commemorabo. Earum quae vulgo *Aurantia, Citria* vel *Medica, Cydonia*, aliae quae id genus, incredibilis hic copia. Tota ora, ut ea nobis sit exemplo, quae in Liguria ad D. Remi, atque etiam ulterius, ad Genuam pertinet, tot tamque nobilibus arboribus, itemque Palmis summae proceritatis, unde fructus admodum generosi odoriferique percipiuntur, ornata est, ut cum adspectu, tum odoratu sit per jucunda: Hortis passim occurrentibus, ad recreandas tristes afflictasque hominum mentes, amoenissimis. Idem de mille aliis dici potest locis. Vivere in Italia *Piperis* arborem docet idem Plinius. Oleis maxime scater Terra Hydruntina, in qua tanta copia, ut cui *Olearum* his in locis ingentia Nemora non sunt visa, incredibile plane videri possit. Ager Barianus in Apulia Peucetia *Oleum, Vinum, Frumentum, Amygdalam, Gossypium* aliosque fructus ubertate quadam & abundantia fundit incredibili. Unus Vallis Oneliae ager in Liguria tanto gaudet Olei proventu, ut quandoque duodeviginti, nonnunquam vicena millia reddat Vrnarum, quas Incolae *Basilas* vocant. Nec *Manna* negavit Italiae Natura. Prope Altomontium in Brutiis Manna colligitur, noctu rorans: praecipue quum imbres diurnos liquidum purumque Coelum noctis excipit. Legitur ex frondibus & arborum quarundam truncis. Eodem beata munere Magna Graecia, quo loco Thuriorum nobis visantur vestigia. *Vitium* Principatum in tantum proprium & peculiarem Italiae notat idem Plin. *ut vel hoc uno omnia gentium vicisse, quamquam odorifera, possit videri bona: quamquam ubique pubescentium odori nulla suavitatis praefertur.* Testantur generosissima, quae passim nascuntur, *Vina*, ab antiquis Scriptoribus decantata. *Italiae Vina* ad quatuor classes idem refert Plin. Omnibus aliis praefert *Setivum*, ab *Setia* Latii Opido dictum. Secundum locum tribuit *Falerno*. Ad Tertiam veniunt apud eundem palmam *Vina Albana, Surrentina, Massica, Statana, Calena, Fundana, Velutina, Privernatia, Signina.* Quartum obtinent, eodem teste, curriculum, *Pratuvia*, atque *Ancone nascentia, & qua a Palma una forte enata Palmesia* appellantur. Sed de his alii: ego ad reliquas Italiae dotes pergo: strictim eas indicaturus. *Herbarum* omnis generis est fertilissima. Quid vero de *Metallis, Lapidibus*, aliisque Muneribus dicam? *Metallorum omnium fertilitate* ait Plin. *nullis cedit Terris.* In Foro Julio Hydra fl. est, & haud procul inde *Argenti-vivi fodina.* Magna *Aluminis* copia ante aliquot annos reperta est apud Etruscos in Territorio *Massae.* In Campania Felice Cuniculi sunt, ex quibus escoditur *Sulphur.* Ab Volaterris amnem *Cæcinam* versus, millia III, Colles aliquot visuntur, ubi *Officinae Salariae.* Apud Brutios etiam *Salis fodinae* sunt, in intima Montis viscera excavatae, unde *Salem* escodiunt. Taceo *Lotomias* ubi *Lapides* varii caeduntur. Taceo *Marmora, Alabastrum, Chrysolitum, Lapias* pretiosos varios. Taceo *Coccum, Lazurium, Vitriolum*, aliaque subterranea. Ac nec recensendis variorum generum *Animalibus* tempus teram, magnam *Bonum* (qui vetere lingua Graeca *Itali* dicebantur) copiam in Italia fuisse, *Bucetaeque* in ea Terra gigni pasque solita compluria, docent apud Agellium lib. XI *vicinas.*

Noct. Atticar. cap. 1; Timæus in Historiis, & M. Terentius Varro in Antiquit. *Lucana Armenta* maxima & validissima olim ibidem fuisse, tastatur Lucillius:

*Quem neque Lucanis oriundi montibus, Tauri Ducere protelo validis cervicibus possent.*

Nutrit Italia præter alias Aves, Aquilas, Vultureſque, carnivoras & rapaces volucres, hiltoriis Romanorum Veterum etiam nobilitatas. Infinita hic, ne prolixior ſim, præteriens, ad Imperium Majorum venio. Gubernationis & Imperii, ſub quo vetuſtiſſimi fuerunt *Italia Terra* habitatores, non magna ſunt apud antiquos Scriptores Documenta, neque Notæ admodum indubitata. Multa quidem eaque ſpecioſa Annius Viterbienſis comminiſcitur, de *Comero*, primo in Regionem hanc advena, de *Chamo Jeno, Sabatio, Saga, Crano, Aurno, Malote Tage, Oſride, Hercule, Tuſco, Alteo, Ritim, Italo, Morgete, Roma, Romanſſo, Jafio* & aliis: Sed horum apud probatos Hiſtoricos nullum eſt veſtigium. Variorum autem, cum Græcorum, tum Latinorum, præcipue Dionyſii Halicarnaſſi, Pompei Trogi, Solim Polyhiſtoris, & aliorum Monumentis diligenter perluſtratis, diſcimus multis ante Conditam Urbem Ætatibus, varia in Italia populorum, cum primis Siculorum, Aboriginum, Ligurum, Vmbrorum, Etruſcorum viguiſſe Imperia: quæ cum ævo ſeneſcente vel in Romanorum ditionem, vel ad nihilum redacta, certis gradibus.

Initio *Roma* gubernata eſt a Regibus annos CCXLIV, teſte Dionyſio & Livio, quos in Romana hiſtoria ſequi rectiſſimum eſt. Apud ipſos etiam rerum geſtarum ſeries legenda eſt, & conſiderandum, creviſſe potentiam foris militari labore & diſciplina: domi vero modieſtia & juſtitia gubernationis, & ordinum ac onerum diſtinctione. Poſtea propter tyrannidem & libidines pulſam eſſe familiam Regiam, ſicut ſapientiſſime cauſæ mutationum in Imperiis libidines fuerunt. Regum nomina hæc ſunt, *Romulus*, qui regnavit annos XXXVIII: *Numa*, qui XLIII: *Tullus Hoſtilius*, qui XXXII, *Ancoſ Martius*, qui annos XXIV, *Tarquinius Priſcus*, qui XXXVII, *Servius Tullius*, qui XLIV; *Tarquinius Superbus*, qui XXV. Hic expulſus eſt Regno propter Filii ſcelus, qui *Lucretiam* per vim compreſſerat. Pulſis autem Regibus partaque libertate annua Imperia facta, ac bini Conſules creati ſunt. Horum primus *L. Junius Brutus*, cui ſuffectus eſt *Sp. Lucretius Tricipitinus*, atque huic *M. Horatius Pulvillus* Manſit autem Italia in *Conſulum*, libera Republica: inque *Principum Romanorum*, eadem oppreſſa, potestate, uſque ad *Imp. Caſarem. Fl. Momyllum Auguſtulum*: quem quum abdicare juſſiſſet *Odoacer Herulus* Gothorum Rex, nobiliſſimam Regionem in ſuam redegit potestatem, ceſuſque *Theodoricæ*, ipſiuſque Succeſſoribus poſſidendam reliquit. Faſtos *Conſulum Romanorum, & Imperatorum*, adponere non eſt neceſſe, quum in omnium manibus ſint. Qua autem fuerit forma primæ gubernationis Regiæ, quæ incrementa, quæ Legum & Magiſtratum mutationes, quanta fuerit Romanorum virtus, quæ bella, quæ variis motus domeſtici, donec *Roma* Monarchiam Orbis Terrarum adeptæ eſt: ac deinde quomodo luxu, bellis Civilibus, & fatali Orbis mutatione ruruſ amiferit & virtutem & Imperium, ex integris hiſtoriis cognoſcendum

## ITALIA.

483

scendum est. Ad reliqua pergo. Vrbes habet Italia egregias, florentes, opulentas: Opida clara, famosa, Civibus aucta: Pagos magnos, Aedificiisque Nobilium & Pratoriiis superbientes. Sed non abs re fuerit audire de celeberrimis Italiae urbibus iudicium Thomae Edwardi Angli.

Sancta est Sanctorum pretioso sanguine ROMA.  
 Cingitur Urbs VENETVM pelago ditissima nummis.  
 Incluta PARTHENOPE gignit Comitesque Ducesque.  
 Est MEDIOLANVM iucundum, nobile, magnum.  
 Excellit studii foecunda BONONIA cunctis.  
 Splendida sileret nutrit FLORENTIA civis.  
 GENVA habet Portum mercesque domosque superbas.  
 Exhaust loculos FERRARIA Ferrea plenos,  
 VERONA humana dat singula commoda vita.  
 Extollit PADVAM Iuris studium & Medicina.  
 Illustrat patrie SENAS facundia linguae.  
 Maxima pars hominum clamat, miseram esse CREMONAM.  
 MANTVA gaudet aquis ortu decorata MARONIS.  
 Vna VTINI varias generosa vehuntur ad Urbes.  
 BRIXIA dives opum parce succurrit egenis.  
 Italicos versus praefert PAPIA Latinis.  
 Libera LVCA tremis ducibus vicina duobus.  
 Flent PISAE amissum dum contemplantur honorem.  
 Commendant PARMAM Lac, Cafeni atque Butyrum.  
 Non caret Hospitiis perpulcra PLACENTIA caris.  
 TAVRINVM exornant virtus, Pietasque fidesque.  
 Militibus validis studiosa PERVSIA claret.  
 VERCELLAE lucro non delectantur iniquo.  
 Mordicus Urbs MVTINAE ramos tenet esse salubres.  
 Contemnunt, omnes ANCONAE, mania Turcas.

PPP ¶

Libus.

## ITALIA.

*Litibus imponit finem MACERATA supremum.*  
*EMPORIA in portis consistit gloria clausis.*  
*Urbs LIVII celebris nimis est proclivis ad arma.*  
*BERGOMVM ab inculta dictum est ignobile lingua.*  
*Omnibus exponit gl'ios ARETIVM acutos.*  
*VITERBI conventus opem fert sanctus egenis.*  
*Cruibus humanis decorata est ASTA fidelis.*  
*Fruclibus, Anseribus, pomario ARIMINVM abundat.*  
*FANVM formosus mulieres fertur habere.*  
*O dit mundanas Syncera NOVARIA fraudes.*  
*Clara per antiqua defecit fama RAVENNE.*  
*ANGLIA habet paucos Comites: VINCENTIA multos.*  
*Omnes commendant ficiis grossisque PISAVRI.*  
*Castaneis, Olco, Trutico PISTORIVM abundat.*  
*Rustica frugales nutrit DERTONA colonos.*  
*Postponit REGIVM cornuta Animalia Porcis.*  
*Dulcia felicem cingunt Vineta CESENAM.*  
*TARVISIVM exhibulant mirido cum flumine fontes.*  
*IMOLA divisa est, nocet hec diviso multis.*  
*VRBINVM statuit ducibus clamare, valere.*  
*Nota est ficitibus siglina FAVENTIA vasis.*  
*SPOLETVM clamat, peregrinis intrate, muerite.*  
*LAVS pinguis POMPEIA Boves producit Ovesque.*  
*NARNIA promittens epulum dabit ova, vel uvas.*  
*ASSISIVM sancti FRANCISCI corpore gaudet.*  
*Hospitibus COMVM Piscei cum carnibus offert.*  
*Quarit opes fragiles studiis SAVONA relicta.*

Lacus.

Lacus habet Italia plurimos, quorum nominatissimi: In Etruria Trasumenus, Aprilis, Marinus, Vadimonis, Ciminius, Vulturnensis, Sabarus, Palus Bientina, & Ciana. In Latio Hostie Lacus, Albanus, Aqua Salaria, Lacus Nemorensis, Inturne Lacus, Regillus, Fucinus, Pontina Palus, Fundanus Lacus, Tiburtinus, Cacubus, Simbruina Stagna. In Piceno Nursinus. In Umbria Velinus, Floridus, Cutiliensis. In Campania Lucrinus & Avernus, Linturna Palus, Stativa, Pompeia. In Salentinis & Apulia Lacus Andurianus, Lesinensis, In

In Flaminia *Septem Maria*, *Padusa Palus*. In Langbardia *Trans-Padana Verbanus, Ortanus, Larius, Luganus, Gaviatus, Monatus, Trinatius, Chivensis, Puscianus, Sebimus, Benacus, Idrinus, Pœnnus*. In Venetia *Vigifolus*. In Istria, *Costiacus*. Plurimis etiam irrigatur passim Fluvii, inter quos *Padus, Athesis, Rubico* Flumina. *Tiberis, Arnus, Mincius, Ticinus, Ollius & Abdua*. Primum locum dedimus fluvio nobilissimo, qui omnes Europæ fluvios, ut Strabo adserit, docetque experientia, præter Istrum magnitudine superat, *Pado*, Sic Latinis Scriptoribus Livio, Virgilio, aliis dicitur: qui Italis hodie *Po. Padus* dicitur, notante apud Plinium Metrodoro Sceptio, quod circa Fontem arbor multa sit picea, quæ *Pades* Gallice. *Ποσειδωνος* olim Græcis Poetifque. Sic dicitur ut vult Servius ab Solis Filio Phaëronte, qui antequam per temeritatem in hunc fluvium esset præcipitatus, *Eridanus*, fertur appellatus. *Bodincus*, teste Plinio Liguridus vocabatur, quod fundo careat. *Bόδενος* Polybio lib. 111. *Padi* Pater Mons Vesul, Antiquis omnibus *Vesulus*, ut docet Plin. In finibus Ligurum Gabienorum Fonte profluit, ut idem Plin. notat, *Vifendo*: non qui proprio sic nomine, ut Leander putat, dicitur, sed qui visu dignus & mirabilis, ut apud Marcianum Cappellam. Ex Fonte suo nulli Amnium claritate inferior profluens, per angustas confragolasque Rupes, & artas scopulosi montis Cólvalles præcipitat; tantaque vi prorumpit, ut summam habeat admirationem. In saxa hinc delabens, fragore strepituque maximo resonat. Mox in planiciem effusus aquæ copia, quæ versandæ molæ frumentariæ sufficit, temere lateque, non ullo certo alveo discurrit, spacio trium fere milliar. usque ad Paisanam, ubi quasi Cuniculis ita absorbetur, ut exigua plane supra terram vestigia relinquat. Post alterum vero milliar. rursus exoritur ad Paracolum, unde pergens Aquulas. Torrentes, Amnesque, ab Alpibus & Apenninis Montibus varios colligit, quibus tandem mirum in modum auctus altusque, mediam Langbardiam & Romanulæ partem permeans, in Adriaticum se exonerat Mare septem ostiis prægrandibus. Quia longius vomit, septem Maria efficere dicitur, inquit Plin. apud quem lib. 111 cap. xv 1, vide de cursu plura, ut & apud Polybium lib. 11, Strab. lib. v, Pomponium Melam lib. 111, Solinum in Polyhist, cap. v 11, Leandrum Albertum, aliosque Novitios. Flavio- rum Rex *Erydanus*, Virgilio 1 x *Æneidos*. Non minor hic *Nilo* canit lib. 11 Lucanus, cui paullo post ibidem, *Non minor hic Istro*. *Pandum* maritimum commeatuum Italicis subsidiis *Fidem* vocat *Invectorem* Ambrosius. Appianus *Intimum Maris Adriatici Sinum*. Sequitur *Athesis* Virgilio & aliis: *Athæis* Straboni: qui Italis hodie *l'Adice vel l'Adese*; Germanis *Eisfch*. Tradit Plinius *Athesim* ex Tridentinis Alpibus profluere. Initio perquam exilis lapsu vim magnam aquarum colligit, accedentibus passim multis amnibus, subter Bolsanum ad meridiem versus rapido se cursu flectit: dein ab Tridento lenius nonnihil per planiciem evolvitur: ac mox iterum emensis campis inter montium angustias tanta cum violentia sævit, ut omnibus, qua fluit, locis infeste minari videatur: eaque vehementia per Veronam præcipitat, infra quam in duo flumina deducitur: uno, quo Paludes petit, altero, quo in Mare pettingit ad Fossiones, haud ignobilem portum. Plura apud

apud Leandrum, Ab Fonte Veronam usque ratibus navigabilis non est ob rapiditatem: Trabibus autem navigatur. Nam ingentes Larices Abietesque cum Asseribus maximis, aliaque prægrandia ligna compacta Tridentinis ex Montibus eo deferunt: Verona porro usque ad Fossiones optime navigatur. Torellus in Historia Veronensi *Athesin* *Atrianum* vult esse Ptol. Quibuldam idem etiam cum *Athesi* putatur esse *Adrias*, qui apud Stephanū & alios Tertium locum tenet *Rubicon*, *ῥοῦβικόν* Ptolemæo aliisque Scriptoribus Græcis: *ῥοῦβικόν* Straboni: nunc *Pisuellus*. Flumen est illud, quo antiquitus post translatos ab *Æli* *Anne* Terminos, Italia finiebatur, auctore Plinio. Sic Lucan. lib. 1.

*Punicens Rubicon quum servida canduit æstus,*  
*Perque imas serpit valles, & Gallica certus*  
*Limes ab Ausoniis disternit Arva Colonis.*

Quantum in locum venit *Tiberis* limes inter Etruriam & Latium. Nescio an fluminum quid eo in historiis Romanorum celebratius. Varia leguntur ejus nomina: quorum alia profani, ut sic loquat, genii, alia sacri. Prioris Classis sunt *Janus*, *Albula*, *Rumon*, *Tiberis*; posterioris *Serra*. *Janum* antiquissimis temporibus appellatum fuisse, tradit Athenæus, ab *Jano*. *Albulam* fuisse dictam, patet ex Varrone, & aliis. Ab albo colore dirivant Paullus Diaconus & Servius. *Rumon* a ruminando dictus fuit, ut idem docet. Omnibus his insuper habitis nobilissimum nomen induit hic flu. *Tiberis*, cujus varia produntur Eryma. Ab *Tibri* Aboriginum Rege trahunt quidam apud Servium ad v 111 *Æneid.*; Tuscorum *Feltus* & *Servius*; ab *Tiberino Situio*, Albanorum Principe, diducunt *Livius*, *Ovidius*, *Festus Pompeius*, & *Eusebius*. Varro *De Heberim* hunc fluvium ab nonnullis nominatum tradit ab *Dehebris*, Vcientum *Regulo*. *Serram* in Sacris nuncupatum memorat *Servius* ad eundem *Æneidos* librum ab secundo. Hæc de nominibus; in quorum quarto illud notandum, aliquod observatum fuisse discrimen in prolatione vocum *Tiberis*, *Tibris* & *Tiberim*, *Tiberis* enim communi sermone dicebatur, *Tibris*, poetice: *Tiberinus* in sacris, notante *Servio*, quod tamen non ubique verum. *Tevere* vulgo. *Tiberis* autem caput in Apenninis jugis tollit, ex media propemodum ejus longitudine, finibus Aretinorum, eadem ferme parte, ubi fons *Arni* supra Aretium. Tenuis admodum initio est & modici rivuli instar, lapsusque aliquamdiu paullum etiam incrementi adsumit, quod præter exiguos fonticulos aquæ grandes accedant nullæ: ubi fluminibus augeri incipit, paullatim crescens, navigabilis efficitur, non procul *Tipherno*, sed *Sintribus* & *naviculis* tantum usque *Romam*, procurrentis non procul *Tipherno*, *Perusia*, *Otriculo*, *Etruriâ* ab *Vmbri* *Sabinis*q; dirimit: dein citra *Romam* *P. M.* fere x 111 *Vientes* ab *Crustiminis*, & *Fidenatibus*: item *Latiû* ab *Vaticano* separat: *Romam* tam grandis delatus, ut transiri nisi *Pontibus* aut *Navigio* nequeat, scribente *Halicarnassæro*. Pergit inde ad *Ostia* sua, ubi in *Mare Tyrrhenum* evolvitur. *Cursum* delineant *Plinius* libro tertio capite quarto, & *Servius* ad v 111 *Æneidos*. *Videndi* & *Florus* libro primo *Histor. Rom.* capite quarto, & *Varro* lib. 1 v de *L.L.* De *Piscibus Tiberinis* Romanis peculiarem scripsit libellum *Pauillus Iovius*. *Amnes* vel *fluvios* x 111 in *Tiberim* influere, docet *Plin.* lib. III ca. 1 v. *Arnus* succedit, *Livio*, *Plinio* & aliis memoratus, *Arno* *Straboni* & *Ptolemæo*: *Arno* Vernacule. Nascitur

Nascitur, ut Strabo perhibet, ex Apennini latere dextro. Modicis initiis principio inter rupes horridas præcipitesque convalles in Occasum tendit: deinde conlectis fontibus, torrentibus, amnibusque plurimis tumidior, magna cum mole Florentinum ingreditur agrum: Florentiaque & Pisa divisis multis aduuctus fluviis, Mare petit. *Mincius* Virgilio, Straboni, Plinio & aliis, qui *Mencio* vel *Menzo* hodie Italis. Lacum hic ingressus Benacum præcipua claritate: circumdata insigni stagno Mantua, x l i i inde lapide in Padum evolvitur. *Ticinus* Livio, Plinio, Silio, Polybio, Strab. Plut. Ptol. Steph: *Ticenus* Tabulæ Itinerariæ: qui hodie *Tesino*. Oritur ex Monte Summano, qui nunc D. Gothardi nuncupatur: unde &, in diversum tamen, eunt Renus, Rodanus, Athesis & alii. Ex illo Monte per Lepontios in Austrum inter præcipites rupes ad Belinzonam Opidum munitissimum fertur: inde copiosius accessione plurimorum amnium ac torrentium in Verbanum evolvitur lacum, quem supermeat, ut Plin. auctor est: ac tandem redditus per planiciem præcipua claritate Padum influit, quamquam non illa, quam ex lacu trahit, abundantia: quum dirivationibus & fossis in irrigua passim exhauriatur. Tam est aquis perlicidis: ut quidvis, etiam minimum, imo in fundo clare demonstrat. Aurum quoque & Argentum ex ejus arena percipitur. Piscium nobilitate est inclutus, nominatim laudatissimo Thymallo, *Ollus* Plinio, qui vernacule *Ogllo*. Cernuntur in hoc fluvio juxta Palatiolum magno numero excipuli seu loculi consepti fabricatique viminibus, in quo annuo certo tempore, deferentibus aquis, Anguillæ glomeratæ cadunt, quæ mirabili numero extractæ saliantur. Ortum ejus investigare operosum. Opinio recepta est duos modicos rivus ex lacu Frigidulpho, qui inter Alpes est, profluere unum ad dextram nomen Frigidulphi retinere, Olloque tandem jungi: alterum ad levam in alium amnem præcipitari, eumque ab adcolis *Olly* principium constitui. Alii alia adferunt. In Iseum lacum influit, ubi Pisonium Opidum: ecfusus in planiciem passim dirivationibus exhauritur: quibus irrigua Brixiani & Cremonensis agri sic adaquantur, ut ex jejunis atque calculosis opima benignaque fiant. Aquarum *Olly* perpetua claritas, nec ullo unquam tempore deficiens. Brixianum agrum ab Cremonensi & Bergomate hac parte sejungit. Recipit alios supra xxxvii amnes. *Adna* vel *Addua* (variante scriptura, Posteriores Priori præfero) Plinio Tacitoque nominatur, qui *Αδνα*; Polyb & Strab. *Adda* vulgo. Cenomanos dividit ab Insubribus. Pater illi Mons Braulius. Notat inconsideratius Strabo nasci ex Adula Monte. Redditus è Lacu Lario, ejus aquas supermeat per planiciem in Padum tendit, deferens secum cum alios, ut *Pisclavonem*, *Meiram*, *Laram*, *Tarenem*, *Lacium ortum*, *Brembiu*, *Serimontiu*; tum *Serium* qui in montibus supra Bergomum ortus perque Serianam fluens, hibernis mensibus Cuniculis quibusdam se condit, rursusque juxta Cremam copiose exoritur, tandem in *Adduam* inlabitur: æstate tamen lique scentibus ardore Solis montium nivibus, adeo solet augere & abundare, ut non solum meatus subterraneos impleat, sed etiam supra terram fluat perpetuo. Reliqua flumina quæ plurima sunt breviter studio, silentio prætereo. Succedunt *Maria*, *Sinus*, *Portus*. *Mare Superum*, *Inferum*, *Fonium* tribus Italiâ cingunt lateribus.

Vnde

Sinus.

Vnde de Italia Plinius: *Tos Maria, portus, gremiumque terrarum commercio patens undique, & tanquam ad juvenios mortales ipsa avidè in mare procurrens.* Sinus habet plurimos, inter quos, *Rapallinus, Frycis, Amnclianus Mare, Sinus, Batavus, Paganus, Hipponiata, Scylleticus, Tarentinus, Vrtas, Tergestinus, Largus, & Flonaticus.* Post Sinus nominavi *Portus.* Italiam pleniq; in locis importuosam esse, scribit Strabo lib. v i, & quos habet Portus, magnos esse atque admirabiles, horum illud aduersus exterorum incurfiones usui esse, hoc ad invadendos vicissim exteros, & expeditam Mercaturæ copiam conducere.

Portus.

*Portus* autem *Olvuntæ, Anaonis, Avionis, Hercules Monæci, Maurici, Albingauni, Vadorum Sabatorum, Savona, Genua, Delphin, Erycis, Luna, Pisanus, Vadorum, Populoni, Falesæ, Scabrorum, Telamonis, Hercules, Graviscæ, Augusti, Antias, Caieta, Julius, Baonus, Vilnius, Metaurus, Orestis, Castra Hannibalis, Tarentinus, Brundisinus, Garne, Agasus, Anconitanus, Ariminenfis, Ravennas, Peretolus, Livenza, Pola,* multique alii. Portuum enarrationi succedit *Montium.* Inter eos principem obtinent locum *Alpes.* quas Gallia quis, an Germaniæ, vel Italiæ adscribat parum refert: sunt certe Montes, qui Italiam hodie ab Gallia Germaniæque, procurfu suo, tamquam nativo muro separant. Nomen *Alpibus* datum censet Festus ab Candore, Sabini enim *Alpum* dixere, inquit, quod postea Latini *Album.* Isidorus *Alpium* nomen vult esse Gallicum: & Gallorum lingua *Alpes* Montes alios vocari. Agnoscit hodie nomen *Alpium* Idioma Germanicum: cui tamen non id quod notat Isidorus significat. *Alp* enim & *Alpen* Germanis Montes vocantur pascui, in quibus scœnū non secatur, inque hibernos usus colligitur: sed in quos Boves aliæque Armenta pascendi tantum gratia mittuntur. *Albia* & *Alpionia* olim hos Montes dictos fuisse scribit Strabo. Stephano etiam *Alpia* & *Alpij* dicuntur. *Olbia* sunt Phavorino *Selpij, Lycophroni.* *Alpis* singulari numero est apud Ovid 111 de Arte Amandi, Lucanum, alios: *Alpius* apud Dionysium Afrum. Multa etiam *Alpium* nomina in Veterum Monumentis occurrunt, quæ indicant multas quoque *Alpium* partes fuisse, per quas itinera patuerunt. Ea sunt, *Alpes Maritimæ* quæ & *Ligusticæ: Cottia, Grata, Penina, Alpes Summa, Lepontia, Rætica, Julia & Carnica.* Hæc de *Alpibus* quæ Italiam secundum latitudinem ab Gallia Germaniæque separant: sequitur *Apenninus,* qui inter Superum Mare & Inferum excurrens perpetuo ductu eandem secundum longitudinem secat in duo latera. Sic dictus putatur, quod radices habeat sub *Penino* Hannibalis transitu: ejusque juga contingat. Nonnullis *Apenninus,* quasi a *Pænis,* quum Hannibale Duce, in Italiam irrumperent, patet factus: quidam ab *Api* prisco Duce, qui totam Italiam devicit, derivant. *Apennina* Ptol. & alii: *Apennium* Steph. *Apenninus Mons,* inquit Plin. *Italia amplissimus perpetuis ingis ab Alpibus tendens ad Siculum Fretum.* Multos alios habet Italia Montes: vel qui minores Apenni sunt Portiones & quædam quasi Membra: vel quos idem, tamquam fecundus multorum genitos, ex se hinc inde protendit: vel denique, quos haud procul ab se locatos, radicibus eos suis contingens majestate quadam & superiore conjacentibus fastigio despicit. Eos ego, ne prolixior sim, hoc loco prætereo. Montes porro de quibus proxime dixi, & Valles Campique, suis superbiunt *Silvis, Lucis, Nemoribus,* quorum non pauca apud priscos etiam nominibus leguntur celebrata.

Montes.

In Etru-

In Etruria qui hodie *Saltus*, vernacule *Bosco di Monte Fiacone*, Volfinio, quod vulgo *Bossena*, Viterbium cunctibus occurrit, *Volfiniensium Lucum* ab Antiquis appellatum tradit Leander. In Cimino Etruriæ Monte quondam, calcari pauciens ob horrorem solita, fuit Silva, de qua sic Livius: *Silva erat Cimina, magis tum invia atque horrenda, quam nuper fuisse Germanici Saltus: nulli ad eam diem, ne Mercatori quidem, adita, eam intrare haud fere quisquam præter Ducem ipsum audebat.* In Latio apud Capenates *Lucus* fuit *Feronia*, quem canit Silius.

*Dives ubi ante omnes colitur Feronia Luco. Et Sacer humectat Fluvialia vira Capenas.*

Juxta Numicum Arnem *Lucus* erat *Iovi Indigeti* sacer, teste Plin. *Diane Aetolica Lucus* Livio est ad Agninum Compitum. *Næviam Silvam* extra Urbem ad quartum Milliarium fuisse notat Festus. *Campanarum Lucum* extra Portam Capenam scribit Livius. Quod huic *Algidum Nemus*, hodie *Selva del Aglio* dicitur. *Albuntam Silvam* in altissimis Tiburtinis Montibus habet Servius, aliamque in Laurentinorum agris, cognominem. *Angitia Nemus* propinquum Albæ Marforum fuisse, significat Virg. *Furina Lucus*, Territorii Romani, est apud Ciceronem. *Furinarium Lucum* habet D. Victor in XIII Regione Trans-Tiberina. *Furinarum Lucus* Plutarcho vocatur. *Vacune Nemora* agnoscit juxta Montem Fiscellum in Umbria Plin. Gaudent & suis Campani, cum primis *Luco Sacro & Gallinaria Silva.*

*Sacer Lucus* Livio, hodie

*Hemi. Gallinariam Silvam*, nominant Cic. ad Pætum scribens & Strab lib. v Lucanorum sunt *Silva Lucina*, *Eboli*, *Peregrinalis*, *Veliarum*. Brutiorum *Rhegius vel Reginorum Saltus*. Apulorum *Batni Saltus*, & *Lucus Gargani*. In Gallia Cis-Padana *Silva Lucina*, & *Pedanea Silva*. In Trans-Padana *Castorum Lucus*. Straboni denique apud Venetos duo sunt *Luci*, unus ab Junone *Argiva* cognominatus: alter ab *Diana Aetolica*,

alius ab Superiore, qui in Latio ad Anagninum Compitum. Ad Opera publica cum sacra tum profana venio, quæ cum sint innumera, pauca tantummodo è tanto numero delibabimus. Et ut a sacris ordiamur. Ea sane innumera pene sunt. Sola enim Roma hodie supra ccc Tempia numerat: quorum vti Religionis causa maxime frequentantur. i. *S. Petri in Vaticano*: sumtu, marmoribus, magnificentia & opere omnia Orbis superans Tempia. Multa ibi singularia: Columnæ aliquot ex Templo Schelomonis advectæ: duo *Ærei Pavones* ex Pyramide P. Cornelii Scipionis Africani, quæ olim in Valle Vaticana fuisse dicitur, translati. Visuntur item ibi Sepulcra multorum Pontificum: Othonis quoque i. Imperatoris marmoreum. Est & Iudicium Orbis supra in Sacello Pontificis, opus Michaelis Angeli. Et ut omittam reliqua, Monasteriam item, Xenodochia, Nosocomia, Orphanotrophia; Quid dicam de variis cum Pontificis & Cardinalium, tum aliorum Palatiis? Pontificis in edito Vaticani loco est, situ longe augustissimum: quirelictæ Laterana Sede, eo ob amcenitatem loci & salubritatem commigravit. Inchoatum ab Nicolao i. i., auctum post

Opera publica,  
Sacra.

Profana.

ab aliis

ab aliis perfectum ab Julio 11 & Leone x, ædificiis tandem inlustratum picturisque ab Xiffo v, ut Machina celo adurgere, pendereque videatur. Ad census sunt facilimi & ædibus Palatinis accommodati ex omni parte, adeo ut etiam equo ad tectum usque eniti liceat. Opidum potius quis dixerit, adeo est amplum, quam Domum. Sacellum ibi est Xiffo, quod amplissimum æquat Templum. Eo, vacante Sede, conveniunt Cardinales creando Pontifici Maximo. *Conclave* vulgo dicitur. Aliorum Palatia commemorare longum esset. His ergo paucis contenti, ad reliqua pergamus. Sequitur Italarum Gubernatio, ea duplex, *Politica & Ecclesiastica*. Ad *Politica*m & *Civilem* gubernationem hodiernam quod attinet, discerpta nunc est nobilissima Regio in varias *Dynastias*. Inter eos, sub quorum ditione nostro est ævo, præter *Pontificem*, *Regem Neapolitanum*, liberaeque *Republicas*, *Venetam*, *Genuesem*, *Lucensem* & alias, primum facile obtinent locum in Septentrionaliore, *Principes Etruscus*, *Ferrariensis*, *Mantuanus*, *Mediolanensis*, *Montis-Ferratis*, *Pavonia*, *Salluzziarum*, *Veronensis*: In Australiore multi sunt & innumerabiles *Dynastæ*: quos occasione oblata, suis recensco locis. In Ecclesiastica *Pontifex Maximus* sibi *Hieracha* est & Ecclesiarum omnium Caput, numerosam habens familiam. *Quoties* procedit *Gemmis* conspicitur ornatus, & *Sevicis vestibus* (verbis utar D. Bernardi ex libro de Consideratione 1 v, Papam Eugenium interpellantis) *relictus Auro*, *velut Equo albo*, *stipatus Milite*, *circumstrepentibus septus Ministris*. Reliquis *Sacerdotibus* admiranda ibi Dignitas & Auctoritas. Honorantur magis quam Nobiles. *Cardinales*, ut Petrus Melsias notat, in locum Consulium, qui Romanum olim Imperium administrabant, successerunt: *Archiepiscopi* Dacibus sunt adæquati: *Episcopi* Comitibus subiecti, eorum *Vicarii* Praesidium Imperii dignitate; *Præpositi* Praefectorum vicem referunt: *Archipresbyteri* in locum Tribunalium Militum sunt substituti: *Canclarii* Tribunos plebis repræsentant. Alia apud eundem Melsiam. Porro Italia *Jure* utitur triplici, *Pontificia*, *Cæsarea*, *Municipali*. Primum Alterumque quale, notum aliunde: Tertium ex Statutis constat & Legibus, quas Civitates sibi singulae condere sunt solita: sufficiant illa, non hic Iurisconsultum agam. Referam vero hæc, quæ de variarum Civitatum *Consiliis* leguntur in quadam Membrana: In *Consiliis* (scriptum ibi) *Mediolanenses*, præstantes: *Veneri*, prudentes: *Lucani*, temerarii: *Pisoni*, inconstantes: *Placentini*, providi: *Florentini*, lenti: *Veronenses*, fideles: *Ferrarienses*, cauti: *Genueses*, ignari: *Lucenses*, utiles: *Volses*, maligni: *Brutii*, stupidi: *Mutinienses*, acuti: *Perusini*, celeres: *Senenses*, tardi: *Pavoni*, ambigui. *Literarum cultores Itali*, quantum in ipsis est, tumentur, fovent, alunt, ornant: iisque omnia bonorum Mæcænatum exhibent officia. Hinc tot per Italiam *Academia*, *Romana*, *Mediolanensis*, *Bononiensis*, *Pavonia*, *Papiensis*, *Neapolitana*, *Perusina*, *Salernitana*, *Pisana*, *Ferrariensis*, *Senensis*, *Florentina*, *Venetæ*, *Bergomensis*, *Mutiniensis*, *Taurinensis*: Nam *Parmensis*, *Placentina*, *Anconitana*, & *Maceratensis* magna ex parte interierunt. Inde item tanta Doctorum, summaque eruditione variis Artibus & Disciplinis præstantium Virorum copia. Stupendum fuit ab iis omne ævum. Eos

Gubernandi  
ratio.

Leges & institu-  
ta.

Academia.  
Iugentio & bonarum  
artium cele-  
bres Viri.

uno duæ enumerare si conarer, maximum mihi quidem conciliarem laborem, Lecturis vero tædium. *Itali* porro Comitatus, Convictus, facilitate, facietis Colloquiis alios antecellunt populos. Fœlici fœcundoque nati ingenio, supra modum prompti sunt in excogitando, & docilitate percipiendis cum litterarum studiis, tum variis Artibus præstant incredibili: Honoris ab omni ævo & gloriæ sitientissimi, Laudisque præter alios adpetentes. Cum lacte voluptatem inbibibentes, propensi sunt in Mollitiem: in Luxuriam proclives: in Venerem soluti. Vindictæ vehementer sunt cupidi: eamque vita ipsa jucundiozem censentes: Testamentis suis mandare soliti Posteris. Mulieres porro variarum Civitatum depingit scite Membrana quædam: quæ inter alia, hæc habet: *Senenses*, pulchræ: *Florentina*, delicatæ: *Perusina*, elegantes: *Cajetana*, formosæ: *Consentina*, obstinatæ: *Beneventana*, rusticæ: *Bonomienses*, arrogantiuicula: *Mutinienses*, benigne: *Cesenate*, rapaces: *Genueses*, salaces: *Cremonenses*, fallaces: *Placentina*, difficiles: *Lucenses*, caste: *Pistorienses*, faciles: *Romana*, graves: *Capuana*, superbæ: *Neapolitana*, sollicitæ: *Brundisina*, inertes: *Ferrarienses*, avidæ: *Ravennates*, humanæ: *Urbinate*, adfabilis: *Vincentina*, constantes: *Parmenses*, avaræ: *Papienses*, lucri-cupidæ: *Mediolanenses*, urbanæ: *Pedemontana*, procaces: *Venetæ*, petulantes: *Veronenses*, gratiosæ: *Brixiana*, diligentes: *Formiana*, speciosæ: *Laudenses*, superstiosæ: *Cremonenses*, lumtuosæ: *Tarvisiana*, zelotypæ: *Bergomates*, altutæ: *Aretina*, tenaces: *Puteolana*, belle. Itali vero quomdam multis magnisque superstitionibus ad stuporem usque leguntur fuisse dediti. Hodie Sacrorum Ceremonias ex Romana Ecclesiæ præscripto atque institutione religiosissime observant omnes: nisi quod in Australiore Italia pauci Græcorum sequantur ritus, & ipsi quidem Græci generis. Quam autem quomdam bellicosus fuerint Itali Militiæque dediti, loquitur subactus ab iis Orbis Terrarum: canente ad gloriâ hanc classicum Romano. Quales in re Militari plerique sint *Itali*, quæque ad Expeditiones feliciter suscipiendas conficiundasque singuli conferant, quibus denique hi, quam illi magis valeant præstentque, docet eleganter Membrana, quam dixi, hoc modo: In re Bellica *Perusini*, strenui: *Calabri*, præcipientes: *Spoletani*, callidi: *Senentes*, felices: *Bonomienses*, efferti: *Neapolitani*, animosi: *Faventini*, hosti instantes: *Prænestes*, sacrilegi: *Collenses*, libidinosi: *Piceni*, rapaces: *Aemiliani*, inconsulti: *Placentini*, crudeles: *Romani*, truces: *Mediolanenses*, intrepidi: *Romani*, fortes: *Vincennesi*, vindictæ cupidi: *Pistorienses*, sanguinei: *Papienses*, firmi. Ad rem Bellicam conferunt *Veneti* pecunias: *Mediolanenses*, Caleas: *Placentini*, Carros: *Cremonenses*, Tentoria: *Papienses*, Lanceas: *Pistorienses*, Pugiones: *Bonomienses*, Arundines: *Florentini*..... *Romani*, Perseverantiam: *Ferrarienses*, Tormenta: *Neapolitani*, Equos:

*Pannonenses*, *Clypers*; *Tarvisiani*, *Enses*; *Viterbienses*, *Calcaria*; *Laudenses*, *Commeatum*; *Neapolitani*, *Indultriam*; *Mediolanenses*, *Tolerantiam*; *Genoveses*, *Perfidiam*. *Praestant Mantuani* Equitatu; *Pistorienses* excipiendo *ictus Clypeis*; *Braxienses*, *extruendis Vallis*; *Genoveses*, *Classe*; *Lucenses*, *obsidendis urbibus*; *Cremonenses*, *struendis Ordinibus*; *Veneti*, *adparanda Classe*; *Patrii*, *moderandis Equis*; *Bergomates*, *locandis Infidiis*.  
De Veteris autem Italiae moribus sic canit Virgilius libro nono *Aeneidos*:

*Quis Deus Italiam, que vos dementia adegit?*

*Non hic Atride, nec Fandi Victor, Ulysses.*

*Durum a stirpe genus, Natos ad Flumina primum*

*Deserimus, Jovoque gelu duramus & undis;*

*Venatu invigilant pueri, Silvaeque fatigant.*

*Flectere ludus equos, & spicula tendere cornu.*

*As patiens operum parvoque adfusa Juventus*

*Aut rastris terram domat, aut quatit Opida bello.*

*Omne ævum Ferro seritur, versaque juvencum*

*Terga fatigamus hasta: nec tarda Senectus*

*Debilitat vires animi, mutatque vigorem:*

*Canicem galea premimus, semperque recentas*

*Convektare juvat predae & vivere rapto:*

*Et que sequuntur.*

Constanti contenti sunt hodie Itali *Mactroniano*: *Repudium* non permittentes, ex Urbem Roma, ad malos jam inclinante Mores, Sp. Carvili ductu quasi profectum. Regum Nobiliumque Primogeniti, Instituto vetere, Principatus obtinent: in privata fortuna virilis stirpis Liberi ex æquo sunt Heredes, modo legitimo nati toto. Quod ad *Victum*, sobrii sunt & frugalis vitæ: non operosi in adornandis struendisque Mensis, nisi quum necessitas flagitat. *Vestitum* non omnibus est unus: sæpe enim pro tempore variatur, cum qualitate, tum forma & ritu. *Venetis Vestitum* est laxitate insigni & prolixitate; & in his Urbibus Municipali sumtuosior. Matronæ ibi ante paucos annos Vlnas, Brachia, Pectus, Humeros nudabant: nunc omnia contegunt, laxioribus utentes Manicis, & in Hispanicum degenerantes. Secundum Venetos civilis & nitidus *Florentia*, reliquæque *Tuscia*. *Mediolanensibus* totique *Aemilia*, *Liguria*que floridior, sed paullo contractior. Romæ *Anticus* prolixitate colorumque varietate cunctos alios antecellit: *Romanus* ipse multo frugalior: cui tamen suus non deest nitor, profectum

*Victum:*  
*Vestitum:*

sertim in Feminis, quæ Tuscum nuper adfectabant. Neapolis magis nitido utitur, quam sumtuoso. Cetera Italia simplicius vestitur. In tota Gallia Cis-Alpina Feminae Principes in Hispanico videri gaudent habitu: Viri in Gallico malunt conspici. Sed de privatoribus Civitatem in Italia Moribus; de selectior quorundam Cibo & Vestitu; deque earundem erga Hostes & Hospites Adfectu, loquitur Exemplum membranæ, de qua ante dixi; ubi hæc: Florentini parci; Lucenses, elegantes; Mantuani, viles; Anconitani, sordidi; Senenses, magnifici; Mediolanenses, copiosi; Novocomenses, luxuriosi; Juncontini, abundantes; Cremonenses, exquisiti; Neapolitani, splendidi; Genuenses, modici; Patavini, mediocres; Aretini, tenues; Veneti obsonantur parvo; Papienses, agrestes; Bononienses, lauti; Astenses, opipari; Perusini, delicati. Delectantur Florentini Caseolis; Lucenses, Pyris; Mantuani, Phaeolo; Ariminenses, Anseribus; Turvisani, Ranis; Cremonenses, Farcimine; Neapolitani, Caulibus; Genuenses, Lactucis; Patavini, pisciculis; Piceni, Porcis; Perusini, piscibus; Papienses Cæpis & Allio. In Vestitu Mediolanenses splendidi, Genuenses, elegantes; Mantuani, pueriles; Neapolitani, sumtuosi; Veneti, magnifici; Florentini, ridiculi. In persequendis Injuriis Lucenses, mites; Mediolanenses faciles; Perusini, dissimulantes; Fulginates, accensi; Mutinenses, placabiles; Senenses, inagnanimi; Neapolitani, benigni; Ferrarienses, pertinaces; Veneti, subdoli; Cremonenses, aperti; Piceni, maligni; Romani, iniqui. Erga hospites Calabri inofficiosi; Lucenses, fideles; Senenses, amabiles; Veneti, blandi; Patavini, duri; Mediolanenses, incauti; Ferrarienses, asperi; Mantuani, deglabratores; Placentini, serveri; Piceni, insensu; Neapolitani, benigni; Florentini, profusi; Astenses, Benevoli Spoletani, agrestes; Veronenses, stultissimi; Papienses, prudentiores; Genuenses, inhospitales; Parmenses, inconstantes; Mutinenses, prolixi; Novocomenses, inhumani. Mercaturam denique Itali summa exercent industria. Quales autem singuli sint in Mercatura, sequitur in eadem Membrana: Florentini videlicet, callidi; Genuenses, tolerantis; Mediolanenses aperti; Lucenses, fideles; Veneti, splendidi ..... cauti.

Mercimonia.

Q P iij

HACTENUS